



Patriarchatus Latinus- Ierusalem  
البطريركية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

Die 7 Maii

Inventionis S. Crucis

(Mem. facult. sed in Basilica Ssmi. Sepulcri, Festum)

*Ant. ad introitum*

cf Gal 6, 14

**N**os autem gloriari opórtet in Cruce Dómini nostri Iesu Christi in quo est salus, vita et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus. (*T.P.* Allelúa).

*Collecta*

Deus, qui in salutíferæ Crucis Invéntione,  
paschále Fílli tui mystérium recólere nos docuísti,  
concéde quaésumus,  
ut per grátiam consórtes effécti crucis,  
partem habeámus resurrectiónis et vitæ.  
Per Dóminum.

*Quando hoc festum extra dominicam occurrit, una tantum lectio legitur ante Evangelium; extra Basilicam Ssmi. Sepulcri, semper una lectio eligitur.*

LECTIO PRIMA (prop्र.)

« *Quem cum percussi aspicerent, sanabantur* »

Lectio libri Numeri

21, 4-9

In diébus illis :

Tædére cœpit pópulum itineris ac labóris. Locutúsque contra Deum et Móysen, ait : « Cur eduxisti nos de Aegyp-

to ut morerémur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ, áнима nostra iam náuseat super cibo isto levíssimo ».

Quámobrem misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes; ad quorum plagas et mortes plurimórum venérunt ad Móysen, atque dixérunt : « Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum et te: ora ut tollat a nobis serpéntes ». Oravítque Móyses pro pôpulo.

Et locútus est Dóminus ad eum : « Fac serpéntem aéneum et pone eum pro signo: qui percússus aspéxerit eum vivet ». Fecit ergo Móyses serpéntem aéneum et pósuit eum pro signo; quem cum percússi aspícerent, sanabántur.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSIORIUS

Ps 95, 10. 11-12. 13

R. Regnávit a ligno Deus (*vel* Allelúa).

- 1 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ». Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur; iudicábit pôpulos in æquitáte. R.
- 2 Læténtr cæli et exsúltet terra, sonet mare et plenitúdo eius; Gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt. Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum. R.
- 3 A fácie Dómini, quia venit, quóniam venit iudicáre terram. Iudicábit orbem terræ in iustitia et pôpulos in veritáte sua. R.

## LECTIO SECUNDA

« *Humiliavit semetipsum: propter quod et Deus exaltávit illum* »

Lectio Epistolæ beati Páuli Apóstoli ad Philippenses 2, 5-11  
Fratres :

Hoc sentíte in vobis quod et in Christo Iesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accípiens, in similitudinem hóminum factus: et hábitu invéntus ut homo, humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Propter quod et Deus illum exaltávit et donávit illi Nomen quod est super omne nomen, ut in Nōmine Iesu omne genu flectátur cælestium et terréstrium et infernórum et omnis lingua confiteátur « Dominus Iesus Christus ! », in gloriā Dei Patris.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

R/. Alleluia    V/. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi,  
                      quia per crucem tuam redemisti mundum.  
R/. Alleluia.

## EVANGELIUM ( prop. )

*«Exaltari oportet Filium hominis»*

† Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 13-17  
In illo témpore :

Dixit Iesus Nicodemo: Nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Filius hóminis. Et sicut Móyses exal-

távit serpentem in desérto, ita exaltári opórtet Filium hóminis, ut omnis qui credit in ipso hábeat vitam ætérnam ».

Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non péreat sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium in mundum ut iúdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum.

Verbum Dómini.

### *Super obliqua*

Súscipe, quaésumus, Dómine, munus oblátum et præsta :  
ut per virtútem sanctæ Crucis,  
ómnia nobis adversántia fórtiter superémus.

Per Christum.

Praefatio

- V. Dóminus vobiscum.
  - R. Et cum spiritu tuo.
  - V. Sursum corda.
  - R. Habémus ad Dóminum.
  - V. Gratias agámus Dómino Deo nostro.
  - R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare,  
nos tibi semper et ubique gratiæ agere :  
Dómine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus :  
Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti,  
ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret ;  
et, qui in ligno vincébat, in ligno quoque vincerétur :  
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,  
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.  
Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,  
sócia exultatióne concélebrant.  
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,  
súpplici confessióne dicéntes :

Sanctus . . .

*Ant. ad communionem*

Io 12, 32

Ego si exaltátus fúero a terra, omnes traham ad me ipsum,  
dicit Dóminus ( *T.P.* Allelúia ).

*Post communionem*

Repléti alimónia cælesti, quaésumus, omnípotens Deus,  
ut ab hoste maligno deféndas,  
quos per Crucem Filii tui misericórditer redemísti.  
Qui vivit.